

an 16  
17

DISSERTATIO INAUGURALIS PATHOLOGICO - PRACTICA  
DE  
**AQVARVM HYDROPICARVM**  
**VACVATIONE PRVDENTI**  
EXEMPLIS QVIBVSDAM CLINICIS ILLVSTRATA.



QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
P R A E S I D E  
VIRO EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO  
**FRIDER. CHRISTIANO IVNCKERO**

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE  
HVIVS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHAEI HALENSIS  
MEDICO PRACTICO CONSTITVTO

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMNISQVE  
IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
RITE CONSEQVENDIS

D. . MAII A. R. S. CLO ICCC LXVIII.  
PVBLICE DEFENDET

AUCTOR  
**IOANNES CHRISTOPHORVS GODOFREDVS IAHN**  
MESOMARCHIVS.

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

INGENIUM INVENTARIUM ET LOGICORUM IN VITIS  
ACQUAVUM HYDROGENIUM  
VACUATIONE TRIVALENTI

DIVINI INVENTIS AUCTORIS  
BOSSNET GRATIOSI ORDINE MEDICORUM  
P R A E S I D I  
IN O P E R I S S I M O T R I B U S O F F I C I I  
IN V I D I A C R I S T I N O J A N G E R O

PRO GRADU DOCTORIS  
IN MEDICINA HONORIS ET FAVORIS DOCT. GRATIOSI  
D. HUIUS A. C. M. D. C. LXXV.  
IN V I D I A C R I S T I N O J A N G E R O



V I R O  
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO

D O M I N O  
CAROLO ERICO SIEFARTH

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO  
PRACTICO BEROLINENSI LONGE MERITISSIMO

FAVTORI ATQVE PATRONO SVO

OMNI PIETATIS CVLTV DEVENERANDO

STVDIORVM ACADEMICORVM PRIMITIAS

IN

GRATISSIMI ANIMI SVI TESTIMONIUM

INTER ARDENTISSIMA

PRO PERENNI INCOLVMITATE ET SALVTE

VOTA

OMNI ANIMI OBSERVANTIA

CONSECRAT

IOANNES CHRISTOPHORVS GODOFREDVS IAHN.



## P R A E F A T I O .



**D**e prudenti aquarum hydropicarum vacatione dissertatione hac auspicali interpretari me parantem nemo facile, credo, tacito cogitationis convicio verberando erroris practici insimulabit, quasi in ea essem sententia, nihil praeterea in curandis hydropicis, quam aquarum in corporis cavitatibus collectarum vacationem, pertinere ad medici clinici officium, & medicum, hanc si effecerit, rem bene gessisse sumque munus plane riteque explevisse vehementerque ideo esse dignum laudari. Est omnino completa curatio, quam proprie sibi poscit hydrops, a mera effusorum & coacervatorum humorum tumoresque constituentium vacatione distinguenda; perfecta enim medela nunquam a medico obtinebitur, nisi in hydropis causas quascunque, tam proximas, quam remotas, cum primis si in his non exigua sita sit mali ratio, diligentius inquisiverit, easque simul removendas fuerit adgressus. Tametsi hoc quidem verum sit, atque in hydropicis aegris fere plerisque, in primis ubi mala viscerum chronica praesto sunt, alia plura praeter aquarum eductionem sint necessaria, hac tamen dissertatione, quia communis omnium

specierum hydropicarum est humorum stagnantium nimia abundantia, omnisque hydropis praecipuum momentum, imo ipsa existit ex parte curatio illa aquarum emotio, de hac solum prudenter expedienda sum dicturus. Vacuatio plerumque cum reliquis indicationibus coniungitur, saepe postponitur, non raro tamen, urgente necessitate prius procuranda est. Et licet humores vacuati hydropem saepius, quam aegrotum sanent, locum tamen faciunt medicinae, quam intus diu inclusi vehementer impediunt; quin vacuatis prudenti modo aquis factum subinde est, ut causae in abdominis praesertim visceribus latentes etiam tactu evaserint manifestiores, inprimis si aegrum ante, quam intemerit abdomen, non licuit videre. Denique aquarum vacuatio prudenter expedita cum omnibus aegris hydropicis, tum vero illis, qui ob humorum & viscerum depravationem non superandam plane sanandi non sunt, insigni affert levamentum, ut, si in eiusmodi hydropicis vacuationis novaeque avertendae collectionis sinus studiosi, non ipsorum vitam solum tantisper produxerimus, sed efficiemus quoque, ut ne hydropes misere moriantur. Quae igitur quum ita sint, mihi de hac materia ita agere summi, ut pauca pathologica, quae ad aquarum hydropicarum emotionem faciunt intelligendam, subiungam, vacuationem ipsam per congrua remedia suscipiendam explicem, eamque exemplis quibusdam clinicis illustrem, reliqua vero ad uberio-rem therapiam hydropis pertinentia hac saltem vice penitus reser-  
cando missa iubeam omnia. Faxit Deus feliciter! De reliquo spem foveo, fore, ut adhibita mea in hoc themate expediundo qualiscun-  
que opera, aequum Lectoris benevoli subbeat examen.

§. I.



## §. I.



*Hydrops* est praeternaturalis & copiosa humorum extra vasa fusorum & stagnantium fluctuosa collectio. Constat omnino ex principiis physiologicis, quod in universum ex arteriis minimis in caveas corporis nostri inhalare soleant vapores, qui vel in totum a venis resorbentibus recipiuntur, vel modica quantitate in aquulas humectationi partium proficuas colliguntur, vel per tubulos excretorios emittuntur. Haec cavearum repletio est physiologica. Si vero humores quocunque modo copiose extra vasa in caveas funduntur & cavitates humoribus sensim accumularae distendi ac tumere incipiunt, haecque nimia repletio fluctuosa sentitur, tunc aegrotantes in eiusmodi convertuntur statum praeter naturam, qui *hydropis* nomine & graecis & latinis medicis venire consuevit. Id quod adeo in omni corporis habitu & in parte qualibet singulari fieri potest, ubique enim caveae saltem cellulosae per humores copiose extravasatos & stagnantes dilatari queunt.

## §. II.

Generalis igitur haec est *hydropis* definitio, §. I. quum autem ipso hoc nomine plures eiusdem morbi species continentur, quarum diversitas a diversis praecipue corporis humani partibus, quae nimia aquae effusae, a reditu praecclusae, abundantia in tumorem expansis dependere solet, variaque inde nancisci nomina, optime *hydropes* secundum partes, quibus insident aquae, dispeccuntur. Ideo pathologis *hydrops* est vel universalis, vel particularis. *Hydropis* universalis vulgo tres numerantur species, ut *anasarca*, in quo omne corpus diffusum est aqua stagnante & tumidum factum, & eum quo saepe iungitur decoloratio flavescens, dicta *leucophlegmatia*, aut, ut alii voluat, huius est initium, *anasarca* vero augmentum; longe deterior est *ascites*, tumor omne abdomen et plerumque pedes occupans, non raro in *anasarcam* lethalem des-



definens; & denique *tympanites* seu hydrops siccus, ubi abdomen valde reñsum & inflatum ad palmae percussum instar tympani edit sonum. Sed si *tympanites* morbus verus est ideopathicus & vapores tantummodo incarcerati sunt tumoremque constituunt, tunc ex mea sententia non ad proprias hydropis species pertinet; si vero, quod plerumque fieri solet, iungitur asciti, locus inter hydropis species haud denegandus erit. Neque simulare licet, quod ascites & *tympanites* strictiori sensu non universalem, sed tantummodo latiore hydropem sistant; merito tamen differentiam a schola medica receptam secuti sumus. Hydropi asciti subiungi debet *saccatus*, seu illa species, ubi aquae sibi peculiarem saecum formarunt, nec in cavitatem abdominis sunt effusae. Ante non adeo longum tempus detectum est, illam ipsam speciem, quam hic innuimus, latitare intra peritonaei lamellam utramque, a focia divisam & distractam, ita ut intestina reliqua & abdominis viscera serosae coluviei plane non sint immersa, sed lamella peritonaei interiori continentur illaesa. An vero cum Cl. NUCKIO dici debeat maiori iure peritonaei hydrops, hic non causam perorabimus. Vid. eius *Adenograph. cap. ultimo*, ubi de huius mali sede & origine anatomice exposuit. Particularis hydropis variae quoque sunt species, ut hydrocephalus, quo infantes etiam in utero interdum laborant, ita, ut eiusmodi infantes hydrocephalici dystociam efficiant; hydrops pectoris unitus vel urriusque lateris; hydrops pericardii, omenti, ovarii muliebris, medullae spinalis; tumores hydropici particulares manuum pedumque, quos oedemata vocant; hydrocele seu hydrops seroti; hydrops lentis crystallinae, tunicae retinae, & quae forsitan adhuc sunt rarissimae hydropis species.

§. III.

Scrutinium amplum causarum a nostra tractatione alienum est; ad praesentem igitur scopum sufficit commemorare, quod hydrops ortum suum

suum mutuet vel a vitiiis fluidorum, progrediendo ad solidorum laesionem, vel in vicem versam a vitiiis solidorum progrediendo ad fluidorum vitiosas qualitates. Hinc *hydrops* est vel *humorum*, qui etiam *hydrops intercus* audit, vel *viscerum*, in quo organa iam labe adfecta sunt. Sit vero causa antecedens in partibus vel fluidis, vel solidis, vel utrisque simul, tamen ex omnibus una eademque causa proxima hydropis, nimirum extravasatio humorum generabitur, licet libens concedam, modum extravasationis pro varia causa antecedente esse diversum.

§. IV.

Quidquid vero diversi in tanta varietate morborum hydropicorum §. II. obveniat, tamen omnibus, teste CELSO *Lib. III. C. XXI.* commune est, ut humores extravasati, quos *aquas hydropicas* ex recepto more vocamus, in copia praesto sint. Disquirenda itaque erit horum humorum natura. A plerisque pathologis indoles essusarum aquarum ferroso-lymphatica asseritur, quae determinatio in genere quidem vera est, sed specialiozem deductionem exposcit. Differunt humores pro diverso morbi tempore & sede. In initio morbi aquae hydropicae quam maxime similes sunt liquoribus, qui ibidem in statu sano secernuntur §. I. deinde accessu lymphae per vasa lymphatica non rite receptae accumulantur, porro colluviei serum aquosum ex aucta congestione accedit, & denique serum glutinosum & excrementitium ex laesis & ruptis vasculis admiscetur. Per plures interdum menses aquae hydropicae tenues & parum alterati manent; in progressu vero morbi hic latex extravasatus diversimode mutatur. Plerumque humores turbidi & spissi sunt; non raro in mucida & viscida coagula abeunt, vel pulaceam indolem acquirunt aut fila fibrosa & ex his nata concreta formant; saepius resoluti & acriores evadunt & vascula sanguifera arrodunt, hinc instar loturae canis & sanguinolenti existunt; quandoquidem naturam materiae purulentae vel saniosae induunt, & denique, morbo diu durante, putres-

B

cunt

cunt ac foetidum nanciscuntur odorem. Inprimis ubi serum excrementium particulis salinis & oleosis copiose est repletum & diutius stagnat, motu intestino ita redditur acre, ut rodatur ac inflammetur, quod in extremis partibus est evidentissimum, dum non raro in illis ulcera, gangraena, sphacelus oriantur; & quum humores mixtionis animalis per se sint in putredinem proclives, nulla difficultate perspicimus, in partibus internis non aliter fieri posse, dum in cavis fluida collecta diu stagnauerint & putrida sint facta, quam ut viscera ita diu macerata tandem in putridam tabem diffuant, & licet in omni cauo, citius tamen id videretur effici in ascite abdominali, semper putredinis sobole, cum primis, si bilis, putredini facile obnoxia, extravasata immisceatur, aut sub operatione improvide aëri datus fuerit accessus.

§. V.

Commode prius hoc loco, quam progredimur, paucis liceat commemorare, & quantum sit aversum a veritate, & quantum ad illam accedat id, quod iam diu per ignominiam medicis obiectatum est, hydropem esse scandalum therapeuticum. E superioribus facili negotio deprehendimus, esse hydropem humorum, & hydropem viscerum, §. III; illam plerumque sanabilem, hunc non sanabilem iudicamus. Etenim si vitium humorum semper solum esset, spes de curando hydrope vix esset deponenda, ita ergo anasarca facilius tollitur, quam ascites, ubi iam vitium organi cuiusdam fonticium occurrit, cuiusmodi laesionis sanatio non est speranda. Novimus etiam per pathologiam & experientiam, saepe humorum hydropem facile progredi ad organorum corruptionem, & versa vice organorum vitium progredi ad humorum corruptionem, ut adeo rarius hydrops humorum solus obveniat curandus. Hinc licet cognoscere, quamvis hydragoga probata in quibusdam hydropicis parem praestiterint opem aquis vacuandis, quid sit, cur alter servetur, alter vero, aquis sufficienter eductis, tamen moriatur, scilicet

scilicet hydropis causa, visceris vitium, non erat removenda. Saepe enim accidit, ut hydropicae aquae a causis non tollendis extravasatae vacuentur, atque aegri moriantur; e contrario contingit etiam, licet rarius, ut occurrant hydropes, qui a causis sanabilibus ortum duxere, & tamen nullam admittant curationem, quia collectis aquis non facile exitus necessarius potest conciliari, ubi e. gr. facculo separato, parte a tela cellulosa discissa, cum reliqua tela & vasis resorbentibus non cohaerente, sunt contentae; causae, quae telae cellulosae resorptionem impederant, sublatae omnisque reliqua tela ab aquis collectis libera esse possunt, pars autem amplius non cohaerens vocuari non potest, ergo haec species, causa licet sublata, non est iuvanda. Plures autem casus hic in medium proferre, nimis esset longum. Adeoque per haec disputata omne cadit probrum & omnis controversia de scandalo hoc therapeutico facillime est componenda. Nova enim generare viscera in artis potestate non est situm; ergo malum faciunt peritis medicis, qui mortes tales illis imputant, quae arti non sunt assignandae.

## §. VI.

Progredimur nunc ad princeps dissertationis momentum, quippe cuius causa labor per antecedentia erat susceptus, nimirum ad ipsam cuiusvis hydropis curationem, quae aquarum vacuatione continetur, ut iam, quibus colatoris & quibus indicatis id, quod haec indicatio medica praecipit, fieri possit & obtineri, & qua ratione, ne aquae revertendo accumularentur denuo, sit omnino praecavendum, paulo explicatius significem. Aquarum vacuationem talem per textum cellulosi fabricam & vasorum resorbentium indolem variis colatoris e corpore posse expelli, non quidem est obscurum, sed tamen hic ut eo liquidius constet, huius telae cellulosae, partis nobilissimae, dignitas & usus; quem insignem corpori humano praestat atque amplissimum, ut pauciora quaedam, quae cognoscendo sufficiunt, posse fieri, ut aquae hydropicae ex



vna corporis humani regione in aliam atque in univcrsam eius compa-  
gem migrent, atque eiusmodi vacuandi modum a machina nostra non  
alienum esse, sed maxime naturae convenientem, ex anatomicis possli-  
minio repetendo commemorem, omnino requirere videtur. Latissime  
enim huius telae patet ambitus estque universale corporis nostri integu-  
mentum, & licet sub cute & circa musculos potissimum sit conspicuum,  
tamen re vera tela cellulosa per totum corpus distribuitur, nullus mu-  
sculus, nulla fibra muscularis, nullum viscus, non vasa, glandulae, ner-  
vi carent hac textura, imo cum vasis intra ipsa ossa penetrat. Magnas  
cavitatum membranas, viscera conficit, ambit, omnes partes & vasa  
ipsius vinculis solidis fibrillarum & laminulis teneris sponte & vi, modo  
licet renixu & tenacitate quadam dilatabilibus cohaerent & connectun-  
tur variis & infinitis, figura quidem & magnitudine diversa, cellulis seu  
spatiis interiectis. *Quum igitur celluloso contextu omnes corporis par-  
tes inter se sint connexae, quis dubitaverit, quin ipsa fabrica fibrarum,  
laminularum & cellularum cellulosa habeat nexum cum sua ipsius proge-  
nie per omnia corporis loca instar spongiae, ita ut omnia vbique loco-  
rum telae spatiola cellulosa inreceptantia inter se communicent amicissi-  
me & coniunctissime.*

§. VII.

Quae quum ita sint, & cellulae in universo corpore humano, nul-  
lis exceptis, vnum quasi efficiant cavum, & ita inter se communicent, ut  
quaevis cellula in sequentem vel lateralem per omnis corporis partes  
proxime feratur, adeoque ex vna cellula in reliquas omnes sit vicinalis,  
pervia atque expedita, profecto ratio adparet, cur in hydropicis, data  
ansa, aquae, in primis quum simul cogitaveris in illa fabrica venarum  
vbique locorum resorbentium & praesentiam & indolem, in varia cor-  
poris colatoria redire & vacuari possint, ita ut impedimentis sublati  
humores in cavis extravasatos resorbent & sanguini tradant, ex quo de-  
nuo

nuo arteriarum ope ad colatoria quaevis delata ad sui emotionem red-  
dantur habiles, licet hoc tamen pro locorum ratione modo facilius, mo-  
do difficilius perficiatur.

§. VIII.

Eiusmodi autem viam per omne corpus in cellulosa fabrica esse  
patulam & expeditam, indeque vnum quasi effici eavum pro vacuatio-  
ne per varia colatoria, ne brevitatis causa plura adferam, emphysema  
docet evidentissime. Atqui emphysema quoddam fit quando per vul-  
nus parti corporis cuidam inflictum aër admissus, interceptus, telae cel-  
lulosae se insinuans, calore postea rarefactus omne corpus, postquam  
illud perambulavit, inflat & bullam quasi aëream constituit, id quod  
non raro incautis chirurgis in vulneribus gravioribus deligandis accide-  
re consuevit. Praeterea non ignotum est, laniones quosdam, ut faci-  
lius cutem maectatis animalibus possint detrahere, cellulosae beneficio  
cute aperta inflare animalia. Id quod fraudatores in animalibus maci-  
lentis, ut saginati corporis speciem illis conciliant, solent imitari. In  
hyprope, anasarca, emphysemati illo, ubi corpus totum aquis extrava-  
satis & stagnantibus sensim est inflatum, quandoquidem casus fortuiti  
felicem dederunt per ambustionem mali curationem cellularum ita signi-  
ficata communicatione. Foco assidentibus forte accedit, ut adusta sine  
sensu pedis planta ad telam cellulosam vsque, & sic libera data via, e  
toto corpore aqua effluerit summo aegritudinis aquosae levamento.

§. IX.

Vt igitur aquis hydropicis facilem & tutum comparemus exitum  
atque huic nostrae indicationi satisfaciamus, per colatoria naturalia &  
emissaria artificialia id praestare conabimur. Et profecto in hac peri-  
ficienda indicatione ars multo plus valet, quam in reliquis indicationi-  
bus, in quibus maior versatur difficultas. Ad naturalia colatoria praeci-  
pue pertinet aquarum vacuatio per alvum, quae fit remediis catharticis,



& quum naturam non raro hanc viam indicasse observatum sit in sanando hydropice, HIPPOCRATES hydropicis, inquit, secundum venas aqua in alvum prorumpente fit solutio, (*coac. praenot. n. 461.*) ideo medici plerique semper spem omnino magnum in cathartorum usu posuerunt. Eiusmodi vero vacuatio quum fieri non possit, nisi resorpta prius per venas aqua & humoribus circulantibus iterum mista, facile patet, illud ipsum praestari catarcticis, quippe quae laticis seroso-lymphatici extravasationem infringunt, & irritatione augent atque accelerant vim intestinorum peristalticam, ut aquae & per vasa resorptae & per telam cellulosam decurrentes atque sic ad intestina ductae citius ano expellantur & cavitates liberentur. Id quod etiam illis profecto obtinetur, quam diu intestina vim suam non perdiderunt.

## §. X.

Ita porro colluviei aquosae vacuationem diureticis obtinendam subinde tentarunt medici, urinae enim secretio & excretio in hydropicis ratione potus est pauca, & ideo inter ipsius mali imminentis signa diagnostica numeratur. Atque in his idem operandi modus, scilicet extravasatione imminuta, & tubulorum renum vrinoforum facta irritatione aquei humores e cavis suis resorpti, tela cellulosa rem ipsam adjuvante, ad vias ducti, sat copiose saepe de corpore expelluntur. Hoc auxilium a diureticis potest expectari, si cavum, in quo collecta & stagnans aqua haeret, necdum ineptum sit resorptioni, ita enim per urinam humores duci non possent. Et quum diuretica hydropicos minus turbant & frangunt, quam cathartica, ideo in debilibus itemque ante emiliariorum usum eadem experiri convenit.

## §. XI.

Caloris ope aquam in vapores abire neminem fugit, qui vero quum in hydropicis deficiat, atque crura ipsorum & femora valdopere frigida calore naturali aegre tepescant, nihilque adeo in vapores solvatur,  
sed



sed omne potius corpus sit omnino citra madorem, conati sunt medici per artem calorem humoribus extravaſatis maiorem conciliare, ut quaedam ipſorum pars mobilis reddita ſoluatur in vapores. Varia igitur ad hanc rem perficiendam adhibuerunt diaphoretica, atque in his ad tumorem minuendum & diſſipandum ſpem curationis poſuere non exiguam. Sed diaphoreticorum uſus tam diu erit difficilis, niſi medici prius liberum lymphae condensatae reſtituant fluorem, vaſorum compreſſionem, obſtructionem, ſtagnantis ſeri tollant tenacitatem. Alias enim nulla pars ſtagnantis ſeri & condensati in vapores mutabitur, nec a venis reſorbetur, nec per telam cellularem migrabit, adeoque tantum abeſt, ut e corpore moveatur, ut potius accumuletur aquoſum, quod extrema arteriarum oſcula affundere non ceſſant.

§. XII.

Atqui vacuationum ſpecies, de quibus §phis VIII, X. & XI. eſt diſputatum, cardinales ſunt & principes, quarum operandi ratio ibidem quoad licuit declarata ad partium diuerſarum hydropes facili iam negotio poterit accommodari. Etenim quo modo aquarum hydropicarum abdominalium, pectoralium atque illarum in capite & denique in habitu cutaneo modo catharticis, modo diureticis, modo diaphoreticis motio & expulſio praefari queat, e vaſorum reſorbentium indole & texturae cellulosae natura eſt evidentiffimum, licet non negandum, illud ipſum pro rerum circumſtantiiſ, partium humorumque nulla vel tolerabili adhuc integritate modo citius & facilius, modo nimis ſero & difficiliius obtineri. Praeterea & particulares ſubinde ſucceſſe aquarum hydropicarum vacuationes, paſſim ab auctoribus memoriae eſt proditum, quarum ſaltem nonnullas hic ſufficiat nominare. Ita particularis aquarum vacuatio fieri poteſt per os motu antiperiſtaltico per valida emetica excitato, per concuſſum enim inter vomendum vehementer mouentur & agitando concutiuntur aquae ita, ut reſorberi



forberi possint a venis & resorptae & per os & per alias vias expelli. At vero quum fibrarum muscularium, faucium, oesophagi, intestinorum, diaphragmatis, musculorum abdominalium motus sit conuulsivus, qui fit per emetica, in multis hydropicis erit minus commodum & tutum ausum, in illis praesertim, qui ad haemorrhagias, affectus soporosos & apoplecticos sunt procliviores. Parciori dosi & non ita crebro in aegrotis ista tolerantibus ita data, ut concussibus, facta resorptione, non tam vomitus, quam aquarum emotives per aluum & urinam promoueantur. Ita interdum aquae hydropicae per vterum euantur & quidem sub vteri & tubarum adfectione hydropica, idque sponte vel applicatis instrumentis, digitis, remediis internis, praesertim datis emmenagogis. Conf. REHM *dissert. de hydrat.* Simili ratione per vasa haemorrhoidalia id euenisse est obseruatum. Per salivationem felici cum effectu hydropem, nullis aliis remediis cedentem, esse sanatum, *Perillustr. van SWIETEN* testatur *Tom. III. p. 225.*, quia solvant mercurialia omnes corporis totius humores, additque cautionem, qua prudentes medici conentur impedire, ne soluti humores, quum adeo sint acres, per aluum ruant, nec intestina, uti in ore fieri solet, eadem laedant exulceratione. Vid. & MONRO *p. 106.* Quamquam enim in aliis quibusdam morbis salivationem per intestina salubrem saepius experti sumus, tamen commemoratam cautelam in hydropice necessariam iudicamus, quia aquae hydropicae per moram omnino causticae sunt §. IV. & facile intestinorum tunicas laedere possent. In ea vero hydropis specie salivationem vtilem fore aestimamus, quae a viscida humorum stagnatione & glandularum obstructione originem duxit; in hac enim & resolutionem humorum viarumque persfectionem & vacuationem aquarum simul praestat. Si vero, ut plerumque in hydropice contingere solet, iam nimia humorum destructio praesto est, tunc salivatio periculosa videtur; eoque omnino periculosior censenda est,



est, si vel virium consumptio manifesta adest, vel viscerum laesiones graviores iam concurrunt.

§. XIII.

Transeundum iam esset ad emissaria artificialia, quorum auxilio aquis vacuandis facilis paratur exitus; sed missis aliis, de paracentesi, qua id fieri solet praecipue, dicturi sumus, quid sentiamus. De ipsius utilitate non omnino eadem omnium auctorum est sententia, laudatur ab his, culpatur ab illis; plane damnant illam alii, alii ceu inutilem negligunt, saltem plerisque ultimum artis refugium esse solet, & quidem non aliam ob causam, nisi quod sibi habeant persuasum, prius alia omnia, quam illa institui oporteret, esse tentanda remedia, atque illud ipsum propterea, quod aegri mortui sint post paracentesin, in aliis aqua, & interdum satis cito, cumulata, denuo abdomen intumuerit, & quod denique morbi causam non tollat. Sed dici non potest, quam proficiat hydropicis paracentesis, & licet paullo rarius sanitatem restituerit, & multo crebrius tantum sit remedium palliativum, ingens tamen levamentum affert aegris, morbi symptomata lenit, vivendi tedium imminuit, vitam producit. Et nulla solida est ratio, quum haec saltem praestet, & quidem via celeriori, tempore breviori, sine insigni dolore, sine omni fere periculo, si modo quae in illa instituenda praecipiantur, rite fuerint observata, cur ad aquas vacuandas non adhibeatur. Itaque semper necessaria est, ubi vacuatio per vias naturales fieri non potest. Profecto non satis monere & contendere possunt auctores, ne diutius, si sine fructu usurpantur, in fortiorum remediorum usu longiori tempus duxerimus & vires aegrotorum frangantur, quae tamen in illa omnino requiruntur.

§. XIV.

Quemadmodum in omnibus aliis curationibus prudentia opus est, ne quid temere & negligenter a nobis fiat, profecto in hisce instituentis

C

dis



dis aquarum vacationibus sollicita cura requiritur atque in eligendis vacuantibus prudens sagacitas, ut apprime convenientia exhibeamus, id quod tribus potissimum contiaetur momentis, 1) hydropis specie, 2) morbi tempore aliisque eius circumstantiis, 3) aegrotorum constitutione. Quae si rite perputando circumspexeris, facile deprehendes, evacuanda plane non promiscua, sed selecta esse debere, congrua methodo exhibenda. Singula igitur indicata paullulum lustrabimus.

§. XV.

Itaque ad laxantia quod attinet, mitiora omnino sub morbi initium conducunt, & mutando tam diu adhibenda, quam diu sufficienter evacuant. Quo e. g. pertinent rhabarbarina, pilulae balsamicae Stahl. Richt. Iunck. Becher. itemque pilulae de succino Crat. extractum catholicum, panchymagog. Croll. cum stimulo resinoso jalapp. vel scammon. specificum jalapp. salia cathartica. Decocta & infusa laxantia minus conveniunt, fluida enim in hydrope copiosa evitanda, saltem parcius sunt exhibenda.

§. XVI.

Quodsi vero eiusmodi mitioribus laxantibus aquarum vacuatio amplius obtemperare recusaverit, tunc activiora, ut sunt scilla, aloë atque helleborus niger, utique erunt exhibenda. Sequens pilularum compositio praecipue in hydrope pectoris atque in ascite e suppressione haemorrhoidum satis efficaciter evacuat. R. Gummi. ammoniac. aceto scillit. solut. & inspiss. drachmam unam, rad. scillae ppa. aloës gummos. extract. ellebor. nigr. recent. parat. ana scrupulum unum. M. f. l. a. c. q. f. ess. succin. pilulae ad pond. gr. i. Dof. gr. XV. ascendendo ad gr. XXV. Huius laudis veritatem duo sequentia specimina clinica satis comprobant.

§. XVII.

## §. XVII.

Litteratus quidam, temperamenti sanguineo - melancholici, inde ab anno vicelimo octavo cum continuis fere moliminibus haemorrhoidalibus confictatus, anno tandem quadragesimo, quamvis antea haemorrhoides saepius ad tertium, quartum, quintum sextumve diem fluxerint, motu in abdomine haemorrhoidali penitus sublato in asthmaticas incidit perpeffiones. Medici diversis e regionibus in consilium adhibiti morbum iudicarunt esse asthma spastico-sanguineum, id quod hoc quidem tempore a veritate non alienum esse videbatur; varia tamen, methodo dissimili subinde adhibita, medicamenta morbus plane eludebat. Anno post labores asthmaticos, hoc saltem temporis articulo, esse hydropis pectoris symptomata, clarins signis cognoscebatur; sensus oppletivus in pectore erat perennis, & quavis inspiratione gravior & conspectior, parva respiratio cum in modum aucta & insolens erat, ut aeger diu noctuque non nisi corpore sedere erecto potuerit, aquae fluctuatio quavis thoracis agitatione se prodidit, quum praesertim fortiores cordis palpirationes, caeque non infrequentiores intercesserint, pulsus semper erat inaequalis & crebro intermittens. Quae morbi conditio quum ita esset, accidit, ut EXCELL. dissertationis huius PRAESES consilio adhibitus praeter alia medicamenta, quae, quum ad finem nostrum iam non faciunt, dedita opera missa sunt, transmitti procuraverit confectiorem pilularum §. XVI. descriptarum, tercio die iusta illarum fumenda dosi, adiecta quidem prognosi, hydropis pectoris curationem fore admodum dubiam atque difficilem. Interim aliquid fiebat. Scilicet praeter expectationem non ita multo post nuntio conperit, harum pilularum usum & diarrhoeam aquosam & largiorem urinae emissionem insigni inprimis parvae respirationis levamento esse sequutam, mentione adiecta, aegrum ob prosperum istud valerudinis levamen, tametsi contra praeceptum medicum, diebus singulis iam



uti hisce pilulis, & tantisper, dum hoc ita fecerit, ipsum cum interdiu in museo incedere, tum noctu situ supino iacentem obdormire valuisse, sin vero earundem usum uno omiserit die, asthma confestim ingravescere. Tamen si Excell. DN. PRAESES hac de re certior factus usum quotidianum dissuadens alia medicamenta interiecto tempore sumenda commendavit, aeger tamen ob levamentum adeo acceptum & blanda venturae demum salutis gaudia non probabat consilium, sed usum pilularum quotidianum maxime salutarem sibi porro conducere arbitrans ad mensis spatium iisdem ideo solis uti perseveravit. Atque earundem usu cum pectoris libertatem, tum fluxum haemorrhoidum redeuntem sibi denuo vindicando omnisque morbi inde sequuta solutione sanitatem feliciter confirmavit.

§. XVIII.

Mercator & negotiator quidam, annos duo & quinquaginta natus, temperamenti cholericisanguinei, quum suo arbitratu vivens & ingenio indulgens vino saepius incalesceret, haemorrhoides fluentes, quae ipsi ita evenere, tandem movit in nimias, quas in itinere quodam ob insignem corporis refrigerationem plane iterum obstructas verus excepit ascitis, in quo idem usus pilularum, quarum exemplo priori fecimus mentionem, commendatus, cum exoptatam aquarum vacationem per alvum & urinam, tum haemorrhoidum restitutionem dedit, quo factum est, ut abdomen aqua collecta antea turgidum penitus detumuerit. Verum enim vero, quum ad pristinam vitam & consuetudinem, cuius erat adeo amans & cupide desiderans, denuo rediit, fluxus haemorrhoidalis, dici non potest, quam copiosior evadere coeperit, quo a medicastro quopiam stanni calcinati cineribus sedato & obstructo iste homo in hydropem denuo incidit, in quo quidem ab earundem pilularum usu sperabat salutem, & licet vel hac vice aquas fatis vacuerint, haemorrhoides tamen redire plane recusabant, ideoque pilulae nonnisi merum

merum afferebant levamentum symptomatum, quae ceteroquin ab aquarum pendere solent coacervatione. Tandem exhaustis viribus aquarum quoque vacationes cessare, aegerque expes & hydrope confectus vitam expiravit.

§. XIX.


Si & haec activiora §. XVI. effectum praestare optatum recu-  
sant, necessitas omnino fortissima efflagitat hydragoga, quae non tan-  
tum vacuant, sed fundunt etiam & fortiter movent. Quo pertinent  
gumm. guttae, femina carthami, cataputiae, genistae, herb. soldanel-  
lae, asari, rad. ebuli, sambuci, succus esulae; ad quae accedunt electua-  
rium hydragogum Sylvii, decoctum Epiphaniae Ferdinandi hydropi-  
cum, & quae sunt reliqua composita, quae eiusmodi modo recensita  
ingrediuntur.

§. XX.

Eiusmodi fortissima quidem hydragoga laudibus quidem extol-  
lunt, etiam atque etiam commendant auctores, & repetitis vicibus,  
paucis intervallo interiecto, prout vires aegrotorum tolerant, danda  
praecipiant, sicuti videre licet apud HOFFMANNUM, MONRO, VAN SWIE-  
TEN & alios plures, sed talium hydragogorum fides sit penes auctores.  
Nos per solidam experientiam sedulo commendamus elaterium, quod  
sequenti forma datum, & fortissimum & virilissimum cognovimus hy-  
dragogum, scilicet R. Extract. elaterii gr. XV. Syrup. de Spina cervina,  
de cichoreo c. rhabbarbo ana vnciam dimidiam, aquae cinnam. sine vi-  
no, drachmas sex. M. pro dosi. D. Vbi tamen est observandum, quod  
in dies sequentes singulos quinque granorum elaterii fieri oporteat ac-  
cessio.

§. XXI.

Pro aquarum hydropicarum ductione & emotione Illustris, beatae  
memoriae, IOANNES IVNCKERVS cum primis conducere & auxiliari ex-  
perien-



perientia didicit elaterium, quod ideo in forma vel fyrupi vel portionis commendare & exhibere consuevit. Et nisi iam brevitatis effemus studiosi, plura, quae hac de re ipse manuscripta memoriae prodidit, afferre possemus exempla; at brevitatis memores unum quoddam revocantes significabimus. Illustrissimus nimirum aegrotans anno supra tricessimum sexto primum ascite laborare coepit, qui successive in anasarca se explicuit. Quatuor Medici e diversis arecessiti regionibus cum Medico loci omnibus celebrioribus remediis & hydragogis usi quam diligentissime, in quibus vero omnibus nullum remedium praeter elaterium praestitit effectum diu desideratum atque exoptatum, id quod ad grana XV. exhibitum die quovis sedecim vel viginti sedes effecit aquosas, tumorque manifeste decrescendo plane detumuit. Quamvis autem aeger hac vice ipso intuitu atque oculorum fide videretur sanitati restitutus, & Medici cum laude fuerint dimissi, laetitia tamen, ex hac re concepta vix ad annum dimidium fuit solida, sed renato malo atque abdomine sensim intumescente summa aegritudine contaminabatur. Iterum quidem elaterii usu fuit profligatus feliciter tumor hydropicus, at brevi vero post rediit. Triste hoc exercitium practicum tres annos peragitur, quorum spatio aeger modo cum ascite conflictabatur, modo elaterii usu ita adiutus erat, ut incedere & negotiis consuetis se dare valuerit. Nisi interea singulis novis accessionibus & aquarum collectionibus illud remedium ad grana V. augetur, optatum idemidem effectum praestare recusavit, sedes die interdum ad triginta pervenere. Quum vero malum arte salutari valentius, morbus princeps, viscerum laesio, hydropis causa, tolli non potuit, sed in dies ipsius hydropis depravatione ingravescere, fieri aliter non potuit, quam ut aeger tandem exanimatus naturae concesserit. Laudem elaterii in hydrope a SYDENHAMO comprobata legimus.





## §. XXII.

Eadem ratione in diuresi promovenda primo mitiora sunt adhibenda, nimirum essent. pimp. alb. lign. assafras, tinctura tartari & succus raphani expressus cum saccharo edulcoratus in malo recenti conducunt. Decocta radicum & lignorum bonae quidem sunt notae, sed quia in hoc morbo fluidorum copia sit evitanda, non admodum eiusmodi decocta hydropicis commendaverimus.

## §. XXIII.

Postea quoque, si ista sane vilo aut nec sufficienti fructu exhibentur, activiora diuretica, ut sunt salia alcalina in lixivio a SYDENHAMO commendata, scilla, in primis acetum scilliticum, generosum sane remedium, & emulsium ex seminibus mili folis, sesaleos, raphani, vrticae & huius generis aliorum, in usum sunt vocanda. Aquae minerales a nonnullis recentioribus auctoribus commendatae in hydropicis plane non conducunt. Aqua calcis vivae, in primis si cum illa coniungitur tinctura antimonii, commendatur, quum vero particulis alcalinis volatilibus abundat, usus eius potius interdicendus, saltem parcior & providentior erit concedendus, id quod etiam valet de spiritu calcis vivae, nisi forte paucarum guttarum numero & quantitate aliis medicamentis immisceri permittatur.

## §. XXIV.

Denique ab aliis auctoribus fortissima acria animalia, scilicet scarrabaei maiales, millepedes, scorpiones & cantharides ad urinam pellendam suadentur, sed provide & omni adhibita cautione sunt propinanda, ne renes & vesica urinaria arrodantur. Alii ad eundem scopum inunctionem olei scorpionum in regionem pubis commendant & certissimam aquarum hydropicarum per urinam vacationem promittunt; verum enim vero etiam hoc anceps est remedium, quod aequae facile vehementes constrictiones, quam felices excretiones producit.

## §. XXV.



## §. XXV.

Ast loco horum §pho praecedente commemoratorum commenda-  
mus colehicum auctumnale, efficacissimum omnino diureticum, quod  
ex aceti colehici rite praeparati libra vna & mellis pur. libris duabus me-  
thodo Stoerckiana compositum propinatur a drachma dimidia bis de die,  
successive ad vnciam vnam & dimidiam adscendendo. Commendationi  
nostrae sequens specimen, ut speramus, fidem conciliabit.

## §. XXVI.

Mulier quaedam plebeia & robusta, annum agens supra triceti-  
mum secundum, de valido abdominis tumore, a quarto eoque ultimo  
puerperio sibi reliquo eiusque augmento sensim ingravescente moesta  
conquererebatur. Omnibus diligentissime cognitis, lucide apparuit, ve-  
rum iam adesse tumorem asciticum, quippe abdominis compressione  
admotaque manus attactu aquarum fluctuario erat evidentissima. Ulte-  
rius explorando et inquirendo compertum est, ab ultimo hoc puerpe-  
rio annum iam cum dimidio transisse, lochiorum tunc fluxum fuisse  
parciorem, mensesque, licet infans brevi post sit mortuus, adeoque  
fere nulla opus habuerit lactatione, nec dum rediisse. Initio quidem  
aegrotae abdomen multis adfectum fuit doloribus, hos tamen remediis  
quibusdam domesticis levando tandem abegit. Postea intra anni dimidii  
spatium nihil molestiarum perpessa in abdomine humorem eiusdem  
sensim ingravescentem minoris aestimavit, praesertim certior ab aliis  
facta, eiusmodi tumorem non esse insolentem multasque puerperas  
sine ullo damno insigniori illum diutius prae se ferre confucuisse. Sci-  
licet mali praesentis quum esset ignara, & futuri erat improvida. Pe-  
dedentim vero abdomen in potentiolem ambitum se latius explicuit, in-  
cessus, laborum, & habitus resupini maximo impedimento, imo usque  
adeo alte intumuit abdomen, ut sufferre illius onus fere non posset.  
Igitur futuri tandem metuens, EXCELL. PRAESIDIS opem imploravit  
salutis,

salatis, etsi paullo serius curiosior & remediorum circumspectior. Omnibus hisce diligenter circumspectis subductisque rationibus cogitationum summam fecit DN. PRAESES eam, ascitis huius originem ab re-  
rentis in vtero, fluxu lochiali parciore mensiumque obstructione esse  
omnino deriuandam, ideoque remedia dispensanda curationemque cum  
ad vteri depurationem mensiumque promotionem, tum ad aquarum  
hydropicarum excretionem sedulo curatius accommodavit. Uterina &  
emmenagoga remedia, (quae brevitatis causa, quia finem nostrum non  
tangunt, hic recensere superfedeo,) re ipsa atque exitu nihil proficuum  
praestabant, mensesque erant ita contumaces, ut spem redeundi osten-  
derent nullam. Atque vtitata hydragoga (in dissertatione commemo-  
rata) quam quidem ad tempus sufficientem exerebant vacuandi virtu-  
tem, illam postea plane denegabant. Proinde vacationibus hisce ces-  
santibus, abdomine adeo intumescente, ut vel ipsius rupturam, aegro-  
tae saltem suffocationem minari videretur, Dnus PRAESES Paracente-  
sin adhibendam decrevit, & hac prima abdominis punctura aquae tur-  
bidae Mens. XII. exstillarunt. Eventus erat insignis, ac spem salutis  
afferre videbatur optimam, quippe aegrotata peracta operatione incede-  
bat libere, & labores conuictos suscipiebat sine molestia. Et licet ope-  
ratione peracta vterina atque emmenagoga non negligereatur, abdo-  
men tamen in novum auctum altiolemque tumorem sensim assurrexit,  
id quod dum animaduersum erat, diversa quidem vacuantia eaque effi-  
caciore data sunt, mense autem effluxo paracentesis secunda omnino ne-  
cesse erat instituenda, cuius profusio atque emissio aquae mensuras XVI.  
fere aequabat. Ab secunda hac abdominis punctura aeque valebat aegra  
atque efficacissima emmenagoga & hydragoga remedia sine vllo fructu  
iterum data sunt. Mense igitur circumacto ob novum abdominis aug-  
mentum metumque suffocationis ad tertiam progredi necesse erat para-  
centesin. Atque tristis haec & luctuosa opera ita ad vndecim peragebatur

D

menses



menses repetita; quovis enim mense aquae collectae mens. XII. ad XVI. erant educendae, & licet a quavis operatione dies quatuordecim aegra esset meliuscule, firma, valida, res suas obiens, ciborum appetens, quiete nocturna fruens, excretionibus alvi & urinae gaudens, reliquis tamen corporis partibus paullulum contabescebat. Hebdomade mensis cuiusvis tertia memoratam aquae extravasatae copiam colligebat, alvo obstructa & urina imminuta, & quum valida hydragoga nihil proficerent abdomenque interea in dies ambitu & tumore se mirum explicaret, nova semper omnino necessaria erat paracentesis. Undecima tandem facta punctura Excellent. DN. STÖERCKII de colchico cet. libellus in DN. PRAESIDIS manus venit, quo lecto confestim ad libelli praeceptum oxymel colchici praeparatum in hac aegrotā attentavit experiundo, persuasum sibi habens, in hac muliere, morti propiore, si ad rationis normam provide factum fuerit periculum, vitio non esse vertendum. Aegrotāe igitur sub initium mane & vesperi oxymellis colchici drachma tantum exhibita est dimidia, cuius usum auctior urinae quidem sequuta est excretio, aquis autem vacuandis quia non suffecit, quater de die drachma huius oxymellis colchici data dimidia aquae hydropicae lutosae admodum, crassiores & turbidae multo copiosius, per vias urinarias fundebantur. Verum enim vero vel hac vacuatione necdum satisfaciente successive dosis crebrior data est tantisper, dum quotidie oxymellis colchici uncia & dimidia assumeretur, atque haec dosis demum aquas extravasatas ita copiose eduxit, ut paracentesi non esset opus reperenda, sed quoties abdomen denuo tumoris augmentum praese ferre videbatur, ad dies quatuor, sex vel octo data quotidie oxymellis colchici uncia & dimidia latex extravasatus sufficienter eductus est e corpore, alvi excretio insuper erat naturae conveniens, excrementa figurata riteque colorata, adeoque oxymel colchicum hic diuresi tantum, non catharsi exseruit efficaciam. Atque aegra ab ultima quidem para-

paracentesi oxymellis colchici beneficio ad septem menses vitam & spiritum duxit, corporis autem tabescentia tandem confecta extremum spiritum effudit hœctica. Ab eo tempore colchicum sæpius in variis morbis in usum provide vocavimus & semper virtutem diureticam cognovimus comprobata.

§. XXVII.

Non semper licet a priori commodissimam evacuationis viam eligere, hinc varia loco excretoria simul stimulare frequenter convenit, ut cognoscamus, ad quam excretionis viam natura potissimum inclinet. Hinc sæpe coniunctio catharticoꝝ & diureticoꝝ iuvabit, quæque eo magis in effectu præstabit, quo certius iam ex physiologicis principiis constat, quod excretiones alvi & urinae naturali nexu complicatae reperiantur. Porro etiam in determinatione evacuantium ad causas antecedentes hydropis respiciendum erit; sic e. gr. interdum facilitatur aquarum hydropicarum excretio, si in hydrope a suppressione hæmorrhagiarum naturalium nato, hæmorrhoidalia & emmenagoga cum vacuantibus hydragogis coniunguntur, quemadmodum passim ex datis speciminibus apparet, vel tempestiva venæsectio in initio morbi instituitur.

§. XXVIII.

Sudatio raro cum emolumento in curando hydrope adhibetur. Hydrops inter cutem quidem a transpiratione suppressa ortus, illa restituta curatur. In reliquis autem hydropis speciebus ab vno hydropico, in quo sub mali initium, quod tamen rarissime accidit, ita soluti sunt humores, ut citius sudare incipiant, adeoque remediis humores solventibus non opus sit, cuius rei signa diagnostica affert pathologia, ad plures non valet consequentia. Et vel in his, si serum stagnans aquosum fuerit simile aquae fluviatili, diaphoretica tamen circumspicte erunt exhibenda. Reliquæ profecto hydropis species tantum sub



declinationem admittunt sudorifera, ubi sudor sponte tunc proveniens signo est manifesto, resorberi aquam stagnantem, & spem esse maximam, ut per diaphoretica excitato calore ad maiorem disponantur resorptionem humores, ut omne resorptum motu sanguinis per vasa cutis spiraculis e corpore emoveatur. Tum demum profunt diaphoretica. Tantum vero abest, ut, essentiae calidiores alexipharmacae sudorem vitalem cieant, ut potius plerumque febrem excitent lentam. Etenim si praeter congruam rationem dantur calida stimulantia diaphoretica, ubi ingenti adhuc copia aquae extravasatae stagnant in cavis collectae & abdomen valdopere distendunt, parum efficaciae in lympham condensatam praestabunt ista diaphoretica, sed expellunt illud humidum, quod parum adhuc per vasa agitur, & vitam oporteret tantisper animare & producere, nedum ubi in cavitatibus humores extravasati lentescere stagnando inceperint, ibi enim putredo & mors acceleretur.

§. XXIX.

Quodsi igitur ab humorum copia tam per purgantia, quam diuretica corpus fuerit liberatum ipsaque natura ad liberiores transpirationem vergit, tum temperatiora diaphoretica laudabili effectu minime desistuntur. Eum in finem radix ari pulverisata quater per diem ad integrum scrupulum cum vino data, mixtura simplex, essent. alexipharmaca temperata Stahlii, liquor mineralis cum resecta dosi spiritus bezoardici Bussii mixtus & pulveres ex cerussa antimonii, sale cardui benedicti, nitro purificato cum rob sambuci vel ebuli mixti laudari merentur. Neque minus ad diaphoresin cautus sit salium volatilium usus, facile enim nimium naturae morbi frigidae tribuitur, tamen liquores salii volatiles cum tincturis alcalinis fixis anatrice remixti adhuc concedi possunt. Antimonium crudum in robustioribus subiectis ad scopum diaphoreticum convenit, & flores sulphuris in hydropse a scabie

scabie retropulsa, praesertim in malo adhuc recenti, laudè sane digni sunt. Sudatio in stuphis laconicis pro aegri conditione & tolerantia prius concedenda in anasarca decrefcente, quia non ita sanguinis exaestuatio efficitur, ut calidis internis stimulantibus.

§. XXX.

Expositis internis aquas hydropicas evacuantibus, quaeritur, an ad auspiciorem effectum consequendum externa debeant coniungi remedia? Quum in multis hydropis speciebus in habita externo aquae extravasatae stagnet, partiumque solidarum robur enervant, facile omnino patet, extrinsecus sub varia forma admota remedia, quae vi sua roborante, balsamica & resolvente humores stagnantes non modo attenuant, & ut in vasorum poros recipi possint, aptos reddunt, sed & putredini resistunt, tonumque relaxatis partibus restitunt, ad hosce humores per congrua emunctoria e corpore exterminandos plurimum omnino conferre. Tantum vero topicis non adscribimus, quantum Illustris HOFFMANNVS olim his tribuit. Hic enim in Medicina Systemat. Tom. IV. Part. IV. cap. XIV. p. 451. inquit: *Etsi meam apponere experientiam licet, ego accommodatis subsidiis externis effectum saepe longe praesentiorum facilioremque, quam ab ipsis internis vidi consequutum.* Licet vero multa existant momenta, quae non permittunt, hanc intrare sententiam, consultum tamen erit, ut externa quoque in auxilium vocemus. Conducunt eum in finem teste HOFFMANNO *loc. cit.* radices levistici, iridis, squillae, ciclaminis, folia ebuli, herba scordii, cardui bened. absynthii, flores utriusque chamomillae, sambuci, baccae lauri, iuniperi, semina corvi, cumini &c. ex quibus sacculi vel epithemata debent parari & ex vino, aceto vini & aqua calcis vivae cocta abdomini, pedibus, & seoto calide imponi, sique refrixerint, reiterari. Atque talismodi epithemata aliis sub alia forma adhibitis ex-



ternis, ut emplastris & unguentis, merito iudicat, longe multumque esse praeferenda.

§. XXXI.

Magis adhuc ad eliminandum laticem extravasatum conferre videtur motus corporis passivus, moderatus & placidus. Hanc medicinam hydropicis ordinavit ipse HIPPOCRATES *Lib. VI. epydem.* dicens; *hydropicem laborantem convenit exercitationibus defatigare, sudare, panem edere, parum bibere &c.* Et utique in recentissimo malo blanda equitatio, & continuata vectura optatum praestant effectum, dum leni conquassatione viscerum & humorum exitum aquarum hydropicarum iuvant. In proveciori autem malo a motione omnino erit abstinendum.

§. XXXII.


Etiam externa atque evidens vacuandi ratio est paracentesis, cuius utilitatem iam §. XIII. indicavimus. Non placet de modo paracentesin instituendi in praesentia prolixè agere, cum ea operatio non magnam involvat difficultatem, ubique in libris chirurgicis legatur, ideoque repetitio facile taediofa evaderet. Sufficiant itaque sequentes cautellae, a medico observandae. Tempestive instituenda est operatio, antequam manifesta virium consumptio animadvertitur. Quo sensibilibiora subiecta sunt, eo parciorem quantitatem aquarum hydropicarum una vice evacuare debet. Perforatio thoracis non suscipienda erit, nisi periculum suffocationis ex accumulatione aquarum extravasatarum urgeat & per signa fatis certa latus, in quo aquae haerent, cognoscatur. Quanda paracentesis abdominis suadenda venit, & locus electionis conceditur, alterutrum latus, trium vel quatuor infra umbilicum, totidemque a linea alba digitorum intervallo eligatur; necessitate autem urgente, punctio adhibenda est in illo loco, quem tumor quidam quasi monstrat. Fasciarum applicatio in paracentesi abdominis nunquam



quam negligenda est. Paracentesis seroti feliciter plerumque succedit; a nonnullis perforationi seroti scarificatio substituitur, ab aliis filum per extremitatem eius ducitur, ut ibi tanquam per cribrum, hic vero quasi per filtrum aqua successive imminuatur. Sed raediosus hic est labor, dolorisque plenus, et praesentissimo gangraenae periculo aegrum exponens. Prae reliquis enim partibus serotum extinctionem caloris facile patitur corruptumque totum abscedit. In hydrocephalo paracentesis locum non habet, sed periculosissima est, nisi in utero iam materno hydrocephalus adsit et partum impediatur. Vulnere facta a sphaecelosa corruptione, ad quam in universam inclinant, per balsamica diligenter sunt defendenda, & aëris accessus quovis modo praecaveatur. Repetitio paracenteseos toties locum habet, quoties & accumulaciones aquarum extravasatarum eam requirunt, & vires aegrotantium eandem permittunt.

§. XXXIII.

De reliquis chirurgicis adminiculis ab auctoribus passim commendatis, e. gr. vesicatoriis, fonticulis, setaceis & cauterisationibus nihil adponendam esse iudicamus, quia hae operationes dolorificae absque emolumento & funesto plerumque eventu in hydropicis instituantur, dum vulneraciones iisdem inductae difficulter, ob absentiam sinceri sanguinis consolidantur, & hinc ad putredinosam corruptio-proclives sunt. Quamquam vero haec emissaria admodum particularia missa fecerim, unicum tamen adhuc subsidium exteraum, nimirum usum clysterum in medium proferre conveniet. Enemata enim ex acrioribus, stimulantibus & lactantibus parata immediate tractum intestinorum stimulant & aquas non solum in ascite potenter evacuant, sed etiam in hydrope pectoris revulsionem evacuatoriam satis notabilem praestant. Consentientem habemus HOFFMANNVM, qui loco ci-



*rato pag. 448.* mirabilem clysterum efficaciam ad educendas aquas ex-  
 tollit. Haec enemata ex radice asari, cort. medic. sambuci, rad.  
 irid. nostrat. summitat. centaurii minor. flor. sambuci, feminibus car-  
 minativis cum vino & aqua, addito oleo chammonill. vulgaris & sale  
 Epsoniense parari possunt. Et si necessitas efflagitat pro maiori sti-  
 mulo extractum catholicum, vel electuar. hier. pior. & diacolocynth. ad-  
 misceri debent. Interdum denique, relaxatione magis paralytica in-  
 cestinorum praesente, implosio fumi nicotianae ad tempus ducendum  
 iuvat. Tandem clysteres uterinos in hydrope uteri & tubarum Fal-  
 lop. utilitates non exiguas praestasse, relatum  
 legimus.

T A N T V M.



Ua 4711

ULB Halle  
003 941 760


3



St.

12





an 16  
17

DISSERTATIO INAUGURALIS PATHOLOGICO - PRACTICA  
DE  
**AQVARVM HYDROPICARVM**  
**VACVATIONE PRVDENTI**  
EXEMPLIS QVIBVSDAM CLINICIS ILLVSTRATA.



QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
P R A E S I D E  
VIRO EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO  
**FRIDER. CHRISTIANO IVNCKERO**

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE  
HVIVS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHAEI HALENSIS  
MEDICO PRACTICO CONSTITVTO

**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMNISQVE  
IN MEDICINA HONORIBV8 ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBV8  
RITE CONSEQVENDIS

D. . MAII A. R. S. clo 1800 LXVIII.  
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR  
**IOANNES CHRISTOPHORVS GODOFREDV8 IAHN**  
MESOMARCHIVS.

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

